



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

7. S. Stanislaus Thavmaturgus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Instructio meritoria.

Quid dulcius cœlo? huic ut nostrum
 maneat inscriptum Nomen, duodecim
 actus exerceamus contrâ iram, & inordi-
 natam tristitiam, quâ forsitan gravius
 impugnabimur hodie; ad noctem verò
duodecim Pater & Ave cum Psalmo:
Laudate Dominum omnes gentes &c.
 Item: *Latatus sum in his, quæ dicta*
sunt mihi, in domum Domini ibimus. Et
 in exilio? in captivitate ita hæremus?

Festum S. Stanislai totius Polo-
 niæ Thaumaturgi Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Modicæ fidei! cur hominem time-
 mus? S. Stanislaus Regi Boleslao
 turpiter viventi libidinem publicè obji-
 cit; minatur Dei judicium, & perpetu-
 um damnationis supplicium. Sic lo-
 quuntur viri zelantes honorem Dei.
 Fili! & nos inter illos? Outinam!

Instructio meritoria.

Quot bona omisimus? quot mala
 commisimus; quia hominis oculos, ju-
 dicium, favores, & æstimationem re-
 spexi-

speximus. Quid ad hæc justus Judex? Contemptus, offensus Deus? Tessera sit nobis commendatissima: *Propter hominem non incepti: nec propter hominem desinam.* Ut solo ducamur Dei amore, ad mensam per octo dies continuos reflexè spirituales instituamus Communionem, mentaliter nobiscum repetendo: *Anima Christi sanctifica me &c.*

II.

CAlumniis, detractionibus subjici, Crux, & afflictio maxima. Sed non S. Stanislao. In sui defensionem è tumulo advocat mortuum. Revixit, & Pontificem protexit. O fili! quid timeamus, si propria nos non arguit, aut damnat conscientia?

Instructio meritoria.

Detractio quantum malum! & pro dolor! quot occasiones illius? ut effugiamus, firmum fiat propositum, aut discedendi ex loco; aut obrutescendi ex toto. Etiam ex solo fumo caligant oculi. Pro medio efficaciori assumatur examen speciale contra detractiones.

Continuetur per unam, vel alteram hebdomadam. Inde ô quanti non evademus detractionum ofores! Superi! os, & aures claudamus, ne inimici, mali sermones intrent, & perimant animam.

III.

AD aram pro fide, & Deo optata cecidit victima sub gladio impiorum innocens Stanislaus. Et ô miraculum! advolant aquilæ, & sacrum corpus à bestiis tuentur. Fili! procidamus & nos, & gloriosa S. Stanislai exosculemur membra, supplicantes, ut & in ultima nos non deserat vitæ lucta.

Instructio meritoria.

Quis neget, S. Stanislaum bonum fuisse Pastorem? talibus indiget adhuc Ecclesia. Misereamur Matris, & ut perenniter triumphet, floreat, ac gaudeat in viris Apostolicis, sanctis Episcopis, & Pastoribus zelosissimis, hodie omnes Sanctos invocemus per eorum Lycanias majores. Devotus filius est solacium matris.

Fe.